

**Aradidae americanae novae vel minus cognitae.**

Descriptae ab E. Bergroth in Tammerfors.

***Dysodius brevipes* n. sp.**

Ovatus, opacus, supra granulatus, fusco-nigricans, segmentis abdominalibus superne fascia basali lutescente intus saepe abbreviata, subtus ad angulos basales macula ejusdem coloris notatis, lateribus corporis obtuse crenulatis. Caput pronoto medio vix brevius, latitudine sua longius, processu apicali apicem versus angustato, medium articuli primi antennarum longius superante, lateribus rude crenato, spinis antenniferis divaricatis, acutis, medium articuli primi antennarum attingentibus, lobulis postocularibus majusculis, oculos superantibus, lateribus dentibus paucis arcuatis. Pronotum basi late leviter sinuatum, lobo antico quadricalloso, angulis apicalibus in lobum extus rotundatum distincte ultra oculos antrorsum productis, lobo postico antico medio paullulum brevior, mox intra latera subrecta parallela obtuse nonnihil carinato-elevato. Scutellum apice obtusum. Corium scutello longius, basin segmenti secundi abdominis paullum superans, angulo apicali rotundato, margine apicali leviter rotundato, intus sat profunde sinuato; membrana abdomine triplo angustior, sat dense reticulata, fusco-lurida. Abdomen ovale, lateribus aequaliter rotundatum, ventre modice dense punctato, linea media longitudinali laevigata ad margines segmentorum interrupta praedito, parte media elevata segmenti primi transversa, segmento sexto medio quinto dimidio longiore, angulis apicalibus rotundatis segmenti sexti abdominalis et lobulis lateralibus segmenti primi genitalis maris apicem segmenti secundi genitalis subattingentibus. Pedes breves, femoribus posticis latera abdominis et basin segmenti quarti ventralis vix superantibus. Long. ♂ 13.5 mm, lat. 7 mm.

Mexico (Cuerna vacca). — Museum Vindobonense.

*D. crenulato* Stål primo visu simillimus et cum illo facile confusus, sed differt capite nonnihil latiore, lobis apicalibus pronoti paullo longius productis, lateribus lobi hujus postici magis rectis, parte media elevata segmenti primi ventralis transversa (nec subquadrata), segmento sexto ventrali maris brevior, angulis apicalibus hujus segmenti magis rotundatis et cum lobulis lateralibus segmenti primi genitalis masculi longius retrorsum productis ac pedibus, praesertim posticis, multo brevioribus. A *D. ampliventri* Bergr., cui magis affinis sed minus similis est,

divergit lobis apicalibus pronoti minus extrorsum vergentibus, abdomine minus rotundato etc.

**O b s e r v a t i o.** In exemplo unico, quod vidi, antenna solum sinistra integra est, sed (ut in *Aradidis* saepe) monstrosa, articulis tribus ultimis in duos concretis, quare structuram antenarum describere non queo.

### **Neuroctenus ovatus Stål.**

Ovatus, piceo-nigrinus, rostro et tarsis testaceis. Caput latitudine longius, processu apicali apice leviter inciso, spinis antenniferis brevibus, extus parallelis, antennis capite paullo plus quam dimidiò longioribus, articulis subaequilongis, primo apicem capitis distincte superante, dentibus postocularibus parvis, oculos haud superantibus. Pronotum antrorsum sat fortiter angustatum, lateribus rotundatis, ante medium distincte sinuatis, angulis apicalibus rotundatis. Scutellum rugulosum. Corium scutello longius, basin segmenti secundi abdominis attingens, margine apicali, intus levissime sinuato; membrana nitida, basi plerumque lutescens. Abdomen subtus leviter convexiusculum, angulis apicalibus segmentorum obtuse leviter prominulis, disco ventris crebre punctulato, parte media marginis apicalis segmentorum ventralium secundi, tertii quartique paullo incrassata et laevigata, in medio antrorsum breviter triangulariter producta, segmento quinto ventrali ad medium marginis apicalis plagula oblonga laevigata praedito. Long. ♀ 7—9 mm. — M a s mihi ignotus.

**F e m i n a :** segmento quinto ventrali ante valvulas genitales levissime bisinuato.

*Mezira ovata* Stål, Stett. Ent. Ztg. XXIII, 1862, pag. 439 (sec. spec. typ.).

*N. dilatato* Bergr. proximus, sed antennis evidenter brevioribus ac ventre convexiusculo et aliter sculpto distinctus. — Mexico.

### **Neuroctenus pseudonymus n. sp.**

Cum *N. ovato* Stål adhuc confusus, sed etiam latius ovatus et magis granulatus ac colore nigrò, articulo primo antenarum brevioris, spinis antenniferis divaricatis, acutioribus longioribusque, dentibus postocularibus longioribus, lateribus pronoti haud sinuatis angulos posticos versus incrassatis ventreque magis deplanato optime distinctus.

*N. ovatus* Bergr., Oefv. Finska Vet. So. Föhr. XXIX, 1887, p. 183 (non Stål). — America borealis (Carolina borealis).

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1898

Band/Volume: [17](#)

Autor(en)/Author(s): Bergroth Ernst Ewald [Evald]

Artikel/Article: [Aradidae americanae novae vel minus cognitae. 26-27](#)